



**Tabulae Navfragii, Sev Echo Concionvm Aliqvot, Qvae
Blattarvm Inclementiam euasêre, de Festis ac Dominicis**

Tertia Navfragii Tabvla: Sev Echo Concionvm Aliqvot, Qvae Blattarvm
inclementiam euasere, de Festis

Bosquier, Philippe

Coloniae, 1615

In festo Corporis Christi.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56152)

IN FESTO CORPORIS CHRISTI,
Auesnis, in templo superiore.

Thema. Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum; & in signum, cui contradicetur. Luc. 2.

D Vbius animi sum (Auditores &c.) quem textum scripturae, loco thematis, hoc tam augusto die, potissimum mihi deligam.

Copia ipsa nocet. Tres enim vel quatuor aequae me alliciunt, & aequè in promptu sunt.

Nihilominus, maiori utilitati vestrae student, & maiori declarationi abditissimorum mysteriorum tanti Sacramenti, quod hodie celebramus, fructuum, qui dignè sumentibus contingunt (quidquid oblatrent nostrae tempestates haereticæ:) hic cum primis textus visus est commodissimus eumque; hodie sequar, nempe is qui inter verba carissimi Simeonis recensetur, cum Christum adhuc pulvillum in vlnis gestaret, quasi magnum & abbreviatum gigantem Deum in paruo homine, ut non quasi abbreviatum hominem in exigua panis specie ac rotunditate; *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum, & in signum, cui contradicetur. Luc. 2.*

Sed antequàm rem adgredior (quandoquidem iam hanc cathedram incipio saepiusculè conscendere) paucis adloquendi ac carpèdi mihi estis coram vobis & palam. melius enim utiliusque hoc mihi vobis dicere, quàm clandestinis, & non profecturis sermonibus agere.

Pudendum ergò omninò est, vos sæpè dicere;
sit Concio breuis, breuis, & citò citissimè (vt scribi so-
let in li. eris veredariorum) expedita.

Dicere enim semihorulæ spatio hodiè satis ac
plus satis.

Etiàm hodie! die, qui propriè Dei & festum
Dei à quibusdam vocatur, & est?

Proh! rem indignam!

Si quibus diebus hebdomadæ, occurrat Diuus
aliquis tutelariorum opificij alicuius, tùm ferè Con-
cionatorem aduocatis, eique horam integrã per-
mittitis ad dicendum, ac si fortè horam dicendo
non impleuerit, verborum rerumq; inopiã labo-
rassè centebitis; Festis verò solennioribus, vt Pa-
troni vrbis vestræ optabitis, & fortè etiam admo-
nendum Concionatorem curabitis, vt breuis sit:
quidquid præcipias, esto breuis; Festo Dedicationis
Ecclesiæ similiter, *Esto breuis;* festo Augustissimi
Sacramenti, *Esto breuis,* & reliquis fere solennita-
tibus augustioribus, *Esto breuis, breuis esto,* & sem-
per *Breuis esto?* Semihorula tunc, aut tribus horæ
quadrantibus dixisse, ferè plus satis? Quid hoc est?

*Quod genus hoc hominum? quæue hunc (fere dixi)
tàm barbara morem.*

Permittit patria? effluxu prohibemur arena. i.
AEneid.

Laudò, communibus & vulgaribus Sanctis, &
(vt sic dicam) Diuis minorum gentiũ, quos phra-
trijs vestris honoratis, horam dari qua à me cæte-
risque concionatoribus cõmendetur; non possunt
vlli Diui nimium honorari à Catholicis: sed ma-
ximis solennitatibus, & festo ipsius Dei Deorum

idem negari, non laudo.

Agi hoc oportuit, & istud non negligi.

Et, vestram fidem! qui possim ego, aut alius quisquam semi horula, aut illo spatiolo, quod nū- hi quasi præfigitis votis vestris, explicare sermone tot tantaq; mysteria, tam recōditi sacramēti, quod vnum Ecclesia *mysterium fidei* speciatim appellat, insinuans scilicet labyrinthos ipsius, humanitatis & sine Ariadnes, id est, sine gratiæ Dei, & longæ orationis filo, inexplicabiles?

Illud Prophetæ *Verè tu es Deus absconditus*, nūquamq; verius dicitur, quàm hic & hodiè.

Tanta sunt eius Sacramenti Sacramentorum sacramenta ac mysteria, vt ne Octaua quidem tota, ac ne tota hominis vita, ijs euoluendis satis sufficiat; & aliqui vestrum, (si dijs placet) vnus vnus horulæ concionem hodie postulabunt, & iterū die Octauæ tantillam?

Hoc emendate, quæso, quotquot tantam breuitatem optare soletis.

Et prætereà etiam miror sanè, in hac vrbe quotannis Octauam perpetuam destinata Concionibus de tanta re habēdis: maximè cum in vicinulis vicinis, ijsq; uestra angustiōribus, imò in pagis grandiusculis nonnullis ita fiat.

Offerrem me ipse profectò huic Octauæ concionibus meis honestandæ, nisi dicere id appetiuisse, & hūc nūc vobis aurem vellicasse.

Certè, si per octauam integram Conciones hic haberentur, poterat vtcumque dissimulatum cum illis, qui breuitatem Concionis hodiernæ

desiderant, propter officij diuini vel prolixitatem, vel cantus maiorem maiestatem. Suppleretur enim abundè cōcionibus & diebus, quidquid esset huic derogatum.

Nunc cum ex vobis desint, ignoscite & nolite mirari si hodiè vtor iure meo, & tracto rem tantā hora saltem integra.

Dicendum
ergo hodiè
mili

1. *Quibus dolis serpens antiquus ad vetitum cibum sit protoparentes nostros adhortatus;*
2. *Quibus blasphemijs serpentini homines Hæretici à diuino cibo diuinitus commendato debortentur, & vt refutandi;*
3. *Vt celebrandum hoc festum, & quis indè fructus.*

I.

Quibus dolis serpens antiquus ad vetitum cibum sit protoparentes nostros adhortatus.

Quo ferè modo (Auditores &c.) serpens antiquus Antagonista Dei, & æmulus noster, mòx mòx vt in lucem prodierat, magna parens omnium valdè blandè doloseque eam aggressus est, effutit in Deum blasphemijs, & mendacijs in laudem pomi vetiti; ità nondùm instituto, sed tantum promisso hoc Altaris Sacramento in Capharnaum, & postea in Cœna vltima in monte Sion instituto, blasphemare quoque idem cœpit obliquè Deum ipsum eiusque quasi impotētiam, dicens ore Capharnaitarum, id est hæreticorum, *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?*

D 4

Durus

*Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Io-
ann. 6.*

*In ruinam multorum est hoc Sacramentum, &
in signum, cui contradicetur, vt iam olim pomum il-
lud Paradisi.*

Cum enim Deus creatos in campo (vt aiunt)
Damasceno protoplastos, mox in Paradisum Vo-
luptatis, horto Alcinoi infinitis partibus lætiorē,
pomisque omnigenis aureis illis, quæ dicuntur in
hortis Hesperidum affatim esse, & à peruigili Dra-
cone custodiri, beatiorem transtulisset: ipsis ius
fecit vtendi vescendi que omnibus, quibus velle,
vnica tantum arbore sibi reseruata. *scientia Boni &
Mali dicta*, non qua egeret ipse; non quæ melior
esset aut potentior, quam vt ea homines adhuc
mortales vesci digni essent; nec quia cæteris peior
esset, & noxia, aut natura sua intoxicaret, minima
(nam et si esus eius edentibus mortifer fuit, non
tamen id ex pomi natura, sed præcepti transgre-
sione fuit) sed vt hoc quasi hominio (vt Iurisperi-
ti loquuntur) ab hominibus sibi præstito, ius Do-
mini, & Maiestatem suam melius tueretur. (Eo
quod poterat leuius tributum exigere, quo nihil
dabat tributarius & vectigalis ipse, sed tantum re-
bus non suis abstinebat?) Tum hostis humani ge-
neris *spirans in arum & cadis in discipulos* istos du-
os Domini, tirones adhuc pauperes spiritu, non
bardos, quidem, sed sine dolo, Serpētem indutus
femineâ face (vt quidam putant) in Paradisi me-
dium prorepsit, & cum in Deum nihil posset, in-
figmentum & opus eius, in imaginem illius euo-
luit virus acerbitalis suæ.

*Necdum etiã causæ irarum, sæuig³ dolores
Extiderant animo. manet altâ mente repostum
Iudicium Paridis. spretæq³ iniuria formæ.*

Virg. 1. Aeneid.

Vt qui amat me, amat & canem meum: ita qui
me odit, odit & ipsum.

Ergo os ille Dei, & diuinæ imaginis prop-
ter Deum, quâ infirmius fuit humanum genus
hâc inuasit, Euam scilicet adorsus, & quidem ma-
ximo verborum artificio,

Verbis. n. } 1. Commiserationis;
vsus est } 2. Admirationis;
} 3. Mendacij;
} 4. Detractionis & blasphemia.

* 1. Commiserationis, cum dixit, *Cur præcepit vo-
bis Deus ne, &c.* q. d. miseret me vestræ tantæ ser-
uitutis, & restrictionis. Nam non potestis vel fru-
ctibus duntaxat arborum vesci, quibus libet. Quæ-
demum est illa Legislatoris inclementia? Inedia
videtur vos velle conficere.

Quid, quod mortem quoque comedentibus
interminatus est?

Draconem illum adpelles, & dicas humano
sanguine leges scribere, qui delictis omnibus eti-
am quantuloquunque furto, mortem irroget. (*Me-
mento Lector Draconis Legislatoris Atheniensis.*)

* 2. Admirationis. *Cur præcepit vobis Deus, ne &c.*
q. d. Miror tam citò vos premi præceptis. Et mi-
ror eiusmodi præceptum, de cibo non sumendo
quicumq; placeat, & palato sapiat. Et miror, De-
um tam parua exiliaque curare, vt etiã de po-
mis

in vescendis & non vescendis leges condant, & quidem primas. Et miror, cùm, si tam bona sunt omnia quæ condidit, quàm ipse, postquam omnia recognovit, indicauit (*vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*) cùm inquam aliquid eorum prohibuerit, maximè rebus nondùm spatio temporis degenerantibus, aut corruptis.

Legislator ille vester est sanè mirabilis in iudicijs atque opinionibus suis.

Regnum Dei non est esca & potus.

* 3. Mendacij. Cùm enim Eua dubitanter respondisset, *Ne fortè moriamur, &c.* ille tùm impudentissimè tubiecit; *Nequaquam morte moriemini.* Falsum hoc fuit, & dictum summa intentione fallendi. q. d. Paupercula; non ità de cibo illo credendum, atque Deus dixit. Qui possit mors sub speciebus vilibilibus pomi huius tam pulcris, tam fructuolentibus, & tactu tam suauius, & ad gustatum tam commodis delitescere?

Vita potius escà illà continetur.

Quod intrat in os non coinquinat hominem.

Letifer non est hic cibus, imò vitalis totus & entheus, viuaces & Sapientes vos factururus.

Et certè pomum illud mille modo lætale erat naturâ sua, sed sola prohibitio contempta fecit mortis reos & sensim occidit.

Deindè; mentitus est quoque cum promissionem oculorũ, *aperientur inquit oculi vestri.* Et cùm promisit *scientiam boni & mali* summo gradu, id est, diuinam.

* 4. *Detractionis & blasphemia.* Nàm dicens non morituros, quos morituros dixerat Deus, si comederent; Deum ipsum summam illam veritatem mentitum fuisse blasphemabat, verba tantum dedisse.

* *Deindè;* Inuidiæ notauit Deum, qui scilicet nollet homines sibi pares fieri, cum facilè possent, si escâ illâ vescerentur. *Scit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis ex eo, eritis sicut Dii &c.* quasi dicat: Inuidet vobis Deus, sui nimium studiosus.

Non quærit publicum subditorum bonum Legislator, sed suum solius.

Omnisquæ potestas

Impatiens consortis erit.

* *Et obliquè* quoque notat Superbiæ, quæ est appetitus propriæ excellentiæ. Nemo autem alteri inuidet alio studio, quàm propriæ excellentiæ, ne scilicet alius par aut superior fiat.

O misella! (inquit) si scires quam sit palato suavis, quàm corpori salubris, quam animo salutaris, quantus docendi beandi quæ artifex sit fructus iste; iam iam comederes, iam virum tuum hic præuerteres.

Ergò mulier malè credula, nimium excellentiæ suæ cupida comedit, viro dedit, qui & comedit, non deceptus quidem aut arbitratus eam vim poma illi aut vlli alteri inesse, sed ne nouam coniugem aliquâ molestiâ afficeret, tergiuersando, iam tum ducem agens virorum effœminatorum scilicet.

Quod

Quod totum Euæ factum quid fuit, nisi bestia Deo præferre?

Crederem eam veriora loquutam, quam Deus ipse?

Eam studiosiorem fuisse boni, vitæ immortalis, & eruditionis mortalium, quam fuisset Deus ipse? Mendacem, Inuidumque Deum credere, Dæmonem veracem, beneuolum & fautorem?

II.

Quibus blasphemis serpentini homines Hæretici à diuino cibo diuinitus commendato dehortentur, & ut refutandi.

Ita serpentinum nescio quid exercent quod apud Catholicos minus cautos & idiotas Hæretici nostri circa Sacramentum Altaris, & cibum illum in resurrectionem multorum diuinitus adpositum, conantur fieri in ruinam.

Christus dixit iam olim, *Hoc est corpus meum Hic est sanguis &c.* Illi verò pernegant quidquam horum esse, sed aiunt eorum aliquam imaginem tantum ac figuram esse.

Blasphemant Deum esse panaceum, & à pistore pistum: Catholicos, cum adorant in Sacramento esse artolatrias.

Etiam ignominiosè vocant *Ioannem Candidum* Christum qui illic continetur.

Hinc ille lachrymæ, & tot bella in Germania, in Gallia &c. his credentibus expressè verbo Dei & clarissimo, & fidem illam retinentibus quæ est *argumentum non adparentium*; istis verba torquentibus

tibus, & fidem tantum habentibus relatu sensuum mendacissimorum.

Adfirmant scilicet hæretici verbum substantivum (est) utrobique capi pro significat vel figurat, & sæpè capi in Scripturis eo sensu; ut ibi, 1. Cor. 10. *Videbant de spiritali, consequente eos petram, petra autem erat Christus*, cum scilicet loquitur Paulus de miraculo per Moysen facto in deserto, quando saxum bis percussum virga Moysis, aquas erumpentes mox dedit tanta copia ut reficeret ingentem exercitum. *Exod. 17.*

Negant autem Catholici, ibi vocem (erant) poni pro significat, sed capi proprio suo significato.

* Nam Christus verè est petra illa spiritalis, & verè petra consequens eos (id est, ille venturus & natus post eorum tempora) de qua Paulus ibi loquitur.

Petra autem illa aquiflua, materialis erat, non spiritalis.

Deinde; petra illa, veram aquam, ad corporalem sitim sedandam, præbens, non potest dici *consequens* ludæos, quasi loco se mouens castris sese mouentibus; quoniam nunquam loco mota est, non magis quam agri Terminus.

* *Ac licet* aliquando ea vox poneretur pro (significat) non tamen inde sequitur, ita quoque hic capi oportere; imò potius propriè, cum inserta sit testamento Christi ultimo, quod genus scripti debet ac solet constare verbis clarissimis, maximeque proprijs, ne hæredibus non tam opes, quam lites, occasione ambiguitatis, relictæ videantur.

* *Dein-*

* Deinde; si in hoc sacramento essent tantum figuræ corporis & sanguinis Christi; esset profecto tenue testamentum Christi; & hoc sacramentum fuerit sacramentorum omnium exilissimum & absurdissimum, utpotè in quo rei figurantis cum re figurata vel nulla sit similitudo, vel multò alienior, quàm in cæteris. *Egenum verè elementū.*

Quæ enim similitudo buccellæ panis, cum corpore Christi?

Qualis ante consecrationem panis erat, talis est & post eam. Idem & post fractionem, qui ante eam, &c.

Idem semper candor in pane; eadem albedo vini (si ex albo consecretur) idem sapor panis. videlicet que post illa omnia.

Oculi tùm non aliud vident, manus non aliud tangunt, palatum non aliud gustat quàm prius: neque auditus magis tunc audit intùs loquentem Deum, quàm antea.

Sacramentorum tamen est, magnam habere cum re significata similitudinem.

Subsit ergò aliquid diuiniùs oportet, quam figuram & figura tantum.

Philosophantibus, & rationem ac dictamen sensuum tantum sequentibus, persuaderi nunquam possit, Christum tam tenue testamentum condidisse, tamque inane & vacuum memento synon sui Ecclesiæ vniuersæ reliquisse, quàm volunt isti Figuristæ, somniantes in illo Sacramento nihil aliud inesse, quam figuram aut signum corporis & sanguinis Christi.

Subest igitur corpus Christi &c.

Ità omninò est. Non quidem oculorum, reli-
quorumque ferè omnium corporis sensuum re-
latu, sed aurium. *Fides ex auditu*, isthic maximè
locum habet.

Christi verbis, non sensibus internuncijs
credendum est. *Quod non capis, quod non vides, ani-
mosa firmat fides* D Thom.

Quia ipse dixit *Hoc est. Hi est &c.* idèò ani-
mosa fide credo corpus ibi esse, illic sanguinem,
non crediturus si reliquis sensibus aliud referen-
tibus crederem.

*Filijs Deorum, sine vlla demonstratione credendū
est;* ait Plato

Pythagoræ ità credebant discipuli, vt rebus
non adparentibus dicerent tantum *pse dixit.*

Quibus redire in gratiam cum Deo libet, his
redeundum est alià omninò via, quàm quàm exci-
derunt ab ea in protoplastis.

At à gratia Dei excidimus omnes non cre-
dendo eius voci, credendo serpenti; Ergò vt
redeamus in gratiam; credamus Deo, non cre-
damus Hæretico serpentinum nescio quid ob-
gannienti aduersus venerabile hoc Sacramen-
tum.

Dicat seriò vnusquisque secum, quod quondã
D. Hieronymus: *In eâ fide senex, moriar, in quâ puer
natus sum.*

Et vestram fidem! vtri magis credendum,
Deo an homini?

Veritati? an hominibus naturâ mendacissi-
mis?

Sacerdotibusne priscis & Sanctis, an vni noua-
tori

tori Caluino Sacerdoti transfugæ, desertori, & virgis cæso & stigmatico, gerenti scilicet humeris iniustum Gallia liliū?

Hiccine audiendus hæreticus ille, hic tantus figurista, qui alibi figuristas & figuras carne peius & angue solet odisse, id est, Catholicos, & sacras Diuorum imagines, quas religiosè venerantur?

Deieceritne iste ex basibus, & templorum parietibus signa & imagines Diuorum, vt nil nisi signa & imagines in altaribus nostris collocaret? Imagines inquam corporis & sanguinis Christi tantum, non corpus ipsum, non sanguinem?

Imagines certe vel nati, vel circumcisi, vel crucifixi Christi, Christi corpus aptius repræsentant, quàm buccella panis benedicti, quam figuram dumtaxat eius vult esse.

Sed figura dumtaxat non est, etiàm res ipsa ad est,

* 1, Sic esse rursus quiuis intelligat, vel ex ipsa cerimonia, totoque Christi adparatu in coenam cum Sacramentum instituebat.

Non erat opus tot verbis, si nihil aliud quàm talem imaginem sui erat effecturus.

Apparatus magnus ferè indicat res magnas sequuturus, nisi quis sit admodum ludio & ridiculus, qualis Leodiensis ille nescio quis æruscator dicitur fuisse, qui mensa in foro aliquandò erecta strataque, & studiose collecto ad se multo populo, cui iactabat miranda & nunquàm visa se ostensurum, tandem accepto à singulis certo ære, nil aliud neque ostendit quàm cultrum & vaginam,

neque

neque aliud fecit, quàm quod cultrum vagina condidit, neque aliam orationem ad eos quàm istam habuit: *Domini mei, videte: hic locus seu domus eius est* (decultro & vagina loquens scilicet) ac sic deceptum pop. dimisit.

Sperabant omnes magna ex apparatu, ac dicebant secum:

Quid dignum tanto dabit hic promissior hiatu?

An Parturient montes, nascetur ridiculus mus?

Horat. in Arte,

Sed Christus minimè ludio, maximeque ferius tota vita ac doctrina huc vsus maximo adparatu.

* 1. Primum enim de illa re multa præfatus est apud Capharnaitas: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, & cætera quæ fusè habes Ioan. 6.*

* 2. *Lauit pedes discipulorum, quasi eos præparans ad dignam sumptionem. Cyprianus.*

* 3. *In Cæna accepit panem, benedixit, fregit, dedit discipulis suis. Matth. 26.*

Gratias agens fregit 1. Cor. 11.

* 4. *Dixit Accipite, comedite, Hoc est corpus meum &c. Hic est sanguis meus. Matth. 28.*

Sanguis meus noui testamenti. ibid.

Quorsum ille tot verba, & signa? An vt tantum figuram exhiberet, eamque obscurissimam? Id quod si ita est, certè ludio maximus Christus fuit.

Sed ludionem dicere Christum, blasphemia est.

Ergò & dicere, tunc figuram tantum corporis sui dedisse.

* 5. *Comedi vult & bibi quæ porrigit; Ergò figuræ tantum non sunt. Nam figuris magis con-*

E

uenit

uenit oculis spectari, quàm ore consumi.

Figuras tantùm si dedisset, dixisset opinor: *Accipite, spectate, seruate &c.*

* ij. Si figura tantum est; feliciores dicam veteris testamenti homines, donatos scilicet figuris nobilioribus, atque expressioribus.

* i. Agnus enim Paschalis, caro erat. Ergò & melior figura carnis Christi, quàm nudus & reus inanis panis.

*. *Viuebat*; ergò & melior figura viuentis eius Christi.

* *Occidebatur*. Ergò & Christi pro nobis quæ que occisi figura expressior.

* j. *Manna* è cælo erat Panis e terra Ergò diuinitus Christum repræsentabat.

* ij. *Ità sapiebat*, vt meritò panis Angelorum vocaretur; nostrum Sacramentum palato compris non aliud sapit, quàm ille vsitatus. Ergò. *Credamus igitur* (Auditores, plus aliquid Christus hic dedisse, quàm panem merum, & qui corpus suum dumtaxat signaret.

III.

Vt celebrandum sit hoc Festum, & quis inde fructus.

At, quid venit in mentem Ecclesiæ Catholice, vt demum hodiè sic coli voluerit hoc Sacramentum? quò festum hoc statuere? quis auctor?

Quidue petunt? quæ religio? Virg. 2. Aeneid.

Respondetur ex D. I hominibus: Quoniam etsi die Cæno, quando Sacramentum prædictum noscitur institutum, inter Missarum solemnias de institutione ipsius specialis mentio habeatur; totum tamen

fidem

fiduum eiusdem diei officium ad Christi Passionem pertinet, circa cuius venerationem Ecclesia illo tempore occupatur.

Vnde, vt integro celebritatis officio institutionem tanti Sacramenti recoleret plebs fidelis, Romanus Pontifex Urbanus Quartus, huius Sacramenti deuotione affectus p'è statuit, prafatæ institutionis memoriã primã quintã feriã post Oct. Pentecostes à cunctis fidelibus celebrari: vt qui per totum anni circulum hoc Sacramento vtimur ad salutem, eius institutionem illo tempore specialiter recolamus, quo Spiritus-Sanctus corda discipulorum edocuit, ad plenè cognoscenda huius mysteria Sacramenti. Nam & in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum à fidelibus frequentari. D. Thom. Aq. opusc. 57.

Celebrandum autem hoc festum

- 1. Reminiscencia grata tanti beneficij;
- 2. Actibus fidei.
- 3. Communionis frequentatione,
- 4. Horiarum precum & Concionum auditione;
- 5. Processionibus honorandis;
- 6. Eleemosynis vberius faciendis.

*1. Reminiscencia grata tanti beneficij. Cogitandum, quis, quid, cui, quando & cur dederit.

Deus incarnatus enim non cōtentus communicatione suæ diuinitatis nobiscum per natiuitatē; etiam humanitatem assumptam voluit communicare, & quotidie vescendam dare, si ita nobis libeat. Cœna ergo vltima, iam iamq; moriturus, testamēti nomine, mnemosynon hoc atq; arram amoris sui hominibus contulit, & continuandi ac perennandi illius fecit potestatem.

Se nascens dedit socium;
Conuescens, in edulium &c. D. Thomas Aq. in
 hymno.

Nobis datus, nobis natus. Idem.

Ita nos concorpores tibi, & consanguineos faci-
 cit. Item Christiferos, Deiferos: Tempora Dei
 Caelos Deo plenos; Lycea & cathedras animatas
 in quibus Deus ipse Doctor sedeat, & vnumquemque
 doceat: & vt Patronus tueatur.

Alexandri imaginem olim superstitiosi qui-
 dam gestabant, tanquam fatalem, & auxiliatri-
 cem ad fortia & prospera; At Christus non imagi-
 nem sui tibi, sed se ipsum hic gestandum dedit.

Non arcam tantum fœderis tecum habes cum
 Sacramento hoc sumpstis, sed ipsum Deum in
 medio tui auxiliarem, & commilitonem.

Neque Deiferos tantum tacit, sed etiam De-
 ficat: *Cibus sum grandium; cresce, & manduca-
 me. Nec tu me mutabis in te sicut cibum carnis tue;*
tu mutaberis in me, ait de se apud Augustinum.

* 2. *Actibus Fidei.* Contra fidem & relatum
 culorum, & reliquorum sensuum, credendo quod
 oportet de Sacramento illo, ac serio statuendo
 nunquam à rectâ de illo fide discedere, ac dicen-
 do cum Petro, qui roganti Christo, nùm Aposto-
 li quoque cum incredulis aliquot Capharnaitis
 deserere vellent, respondit: *Domine, ad quem ibi-
 mus? verba vite aeternae habes.* Ioan. 6.

Contra spem, in spem credit.

Quoties in templo, in pompâ sacrâ ac Processi-
 sione. in Missa, oculis te offerunt species visibili-
 les, toties fides exercenda circa cibum vitæ, ad de-

lendam priscam incredulitatem nostram circa cibum mortis.

Clauus clauo pellendus; incredulitas, fide redimenda, & operienda.

* 3. *Communione frequentatione.* Expediret enim certè tùm maximè communicare, cùm communionis institutio vbique studiosè recolitur; cùm Ecclesiæ cantus, & quotidianæ multis locis conciones ab optimis quibusque Concionatoribus habite, circa Sacramenti explicationem occupantur.

Firmiore fide, & deuotione flagrantiori (opinor) tunc accederetur, propter pleniorè tunc mysterij notitiam.

Fidem enim firmant Conciones, & deuotionè auget cognitio plenior tanti beneficij, ex Concionibus ijsdem hausta.

Suaferim ijs, qui in Paschate non communicarint, si qui tamen tales sint, hac maximè solennitate supplere, qua Ecclesia ipsa quoque aliquid etiàm à se neglectum per occupationes alias, supplet.

* 4. *Horariorum precum & Concionum auditione.*

Auditoribus enim officij diuini huius solennitatis promissæ Indulgentiæ. D. Thom. opus. 57. *Loco distributionum materialium, quæ in Ecclesiis cathedralibus largiuntur existentibus Canonicis Horis nocturnis pariter quæ diurnis, præfatus Romanus Pontifex eis, qui huiusmodi horis in hac solennitate personaliter in Ecclesiis interessent, stipendia spiritalia Apostolica largitione concessit, quatenus per hæc fideles*

les ad tanti Festi celebritatem auidius & copiosius
conuenirent.

Conciones nunquam diligentius audienda
senso meo; tum ob materiæ dignitatem ac maie-
statem; tum ob eiusdem obscuritatem; deniq; ob
ignorationis nimium periculum. Est enim *in rati-*
nam multorum, vt recta scientia *in resurrectionem*
liorum.

Miror, vos nondum huc conspirasse, vt tot
hac Octaua Conciones hic quotidie de tanta
habeantur, maximè hoc tempore, quo nihil
hementius Hæretici impugnant, quàm hoc Sacra-
mentum.

Curabitis me autore, si sapitis, vt deinceps
beantur, vt non tantum propugnaculis, mœnibus
& tormentis bellicis ingentibus, quibus vale
(& muscas vel crabrones Auesnenses vulgus
cat) tuti aduersus fidei hostes sitis, sed rationibus
sed argumentis quoque.

* 5. *Processionibus* honorandis, præsentia vestra
& face.

Est enim hæc solennitas quidam Christi tri-
umphus.

Triumphos autem Principis sui nemo non
dit, nemo non, quæ quæ potest, cohonestat.

Vt cohonestarunt turbæ ouationem illam
pro triumphum Christi, quum asino Ierosolym
est inuectus!

Vt triumphum Dauidis, Goliatho debellato!

Vt Iudithæ, obtuncato Holoferne!

* 6. *Eleemosynis* vberius faciendis. Decet enim

vt cum celebratur summa Creatoris liberalitas, carnem & sanguinem suum, & seipsum, quantus quantus est, nobis dantis, etiam ipsa Creatura in creaturam eiusdem naturæ consortem sit solito liberalior.

Nam, si Iudæi quotannis, quo die Pascha suum, & transitum à seruitute Pharaonis in libertatem celebrabant, vnum quempiam vinctum carcerem liberabant; cur non, quo die celebramus tantam Dei in nos eleemosynam tam augusti panis, non demus quoque alijs panem nostrum quotidianum liberalissime?

Consultissimum verò sit, etiam his maximè diebus iniurias fratribus remittere, iniuriarumq; obliuisci.

His alijsque artibus fecerit vnusquisque, vt Christus in hoc Sacramento honoratus aut sumptus, sit *in resurrectionem sui*; vt qui contrà fecerint, sit *in suam ipsorum ruinam*.

Idè inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi, ait Apollolus.